



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput I. Blasphemiae notio, & gravitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



Catechumenos secundum quemdam modum suum  
per signum Christi & orationem sanctificari puto.  
Ridicule cum hæreticis opponitur, non esse  
filios eam trabem veneraturos, in qua eorum  
pater suspendio fuerit necatus, ut hinc fideles a  
signo Crucis abhorreant; quasi Christus reus  
fuisse, qui pro suis delictis mortem oppetiisset,  
non vero tamquam noster Redemptor pro pec-  
catis nostris mortuus esset.

Quamvis hoc signum naturaliter ex se non  
operetur, cum illo frontem signamus, super-  
stitiosum nil agimus; hoc signum siquidem di-  
vinitus est institutum, & supernaturalis est ejus  
operatio. Religiosum igitur & salutare est Cru-  
cis signum; sed dum illo frontem signamus,  
Crucis Christi amorem, venerationem, & desi-  
derium cor gerat oportet, quo Christianæ reli-  
gionis spiritus continetur.

SECTIO V.

DE

PECCATIS RELIGIOSO CULTUI  
OPPOSITIS,

CAPUT I.

*Blasphemiæ notio, & gravitas.*

Blasphemia contumeliosa in Deum locutio est,  
ac divinæ præprimis laudi opponitur. Deum  
laudamus aut ejus excellentiam & perfectiones  
annun-



annunciando, aut nostras illi preces offerendo, eumque adorando, aut optando, ut ubique honoretur, & glorificetur juxta illud: *Omnis terra adoret te (Deus), & psallat tibi (Psalms. 65.)*. Econtra Deus blasphematur aut divinitus ejus perfectiones negando, aut illi vitium tribuendo, quod ejus sanctitati repugnat, aut illum detestando, illique maledicendo, sicut judaei Christo e cruce pendenti maledicebant.

Hinc varia blasphemiae datur divisio. *Haeretica* est, si quis non solum verbis temere quicquam contra Deum asserat, sed insuper intus pertinaciter ita sentiat. *Imprecatoria* si quis Deum non esse, dehonorationem, aut aliud quodvis malum optet. *Simplex* si quis deliberate quaedam Deo inconvenientia exprimat, quin tamen mente ita sentiat. *Formalis* seu *expressa* manifestam erga Deum contumeliam continet: veluti si injustus, aut providentia carens Deus dicatur. *Virtualis*, seu *interpretativa* solum illative et circumstantiis, aut loquendi modo quicquam Deo contumeliosum refert. *Directa* immediate in Deum, vel ejus perfectiones fertur: *indirecta* immediate in Sanctos, vel res sacras, vel effectus Dei, ac mediate in Deum tendit.

Blasphemia grave peccatum est; nec nunquam materiae levitatem admittit, suam quippe originem ex Dei odio trahit, quod peccata cetera sua enormitate excedit. Advertentiae tamen aut deliberationis defectu peccatum saepe veniale evadit. Porro ut gravis blasphemiae reus efficiaris, sufficit, si verba in Deum aut Sanctos contumeliosè



tumeliosa deliberate, ac cum sufficiente ad sensum advertentia proferas, utut actuale blasphemandi intentionem non habeas: quemadmodum homicidii reatum incurrit, qui volens alium sclopeto trajicit, licet homicidium expresse non intendat. Imo nec omnis inadvertentia Blasphemiae malitiam minuit. Qui utcumque offensi inveterata ex consuetudine in blasphemias prorumpunt, raro quid dicant, advertunt, graviter tamen peccant, quousque per apta remedia pessimae consuetudinis, quam agnoscunt radices tollere renuunt, quia ad peccatum mortale etiam voluntas indirecta & in causa sufficit, nec ullus, qui potuisset & debuisset advertere, inadvertentia purgare se potest (pag. 215. in Not.).

Peccant proin ac blasphemiae reos se faciunt  
1. qui adversis pressi Deo veluti arumnarum auctori maledicunt, 2. qui Deum ceu tyrannum, injustum, pauperum omnino obliviosum indigni traducunt, 3. qui Deum vel non posse, vel non velle juvare temere asserunt, 4. qui abjecte de membris, sanguine, ac passione Christi, de Sacramentis aut aliis Dei donis loquuntur, 5. qui hujus mundi fabricam, & ordinem &c. carpunt, 6. qui manus aut arma contra caelum vindictam sumpturi dirigunt, aut sacras imagines subsannant, conculcant &c.

Casuiستا quidam blasphemias omnes, quae ex consuetudine proferuntur, a peccato mortali excusat: vel cum talis est consuetudo, ut perfectam mali cognitionem imminuat; vel adeo  
haec



hæc consuetudo inolevit, ut nova evaserit natura. Hæc opinio effecit, ut hujusce Casuiste doctrinam merito horreamus. Hæc a peccatis immunes eos reddit, qui peccare soliti ex peccandi facilitate, quam sibi ipsi comparant, sunt veluti iniquitatis captivi. Hinc qui vitiosi sunt magis obnoxii, melioris erunt conditionis criminum numerus eorum enormitatem minuet, ac ingens peccatorum cumulus efficiet, ut quod hoc pondere premitur, peccare jam nequeat. Hoc paradoxo quid cogitari potest horribilius? Alter Casuista docet sufficere, ut confessarius pœnitentem, qui blasphemandi vel jurandi consuetudinem confitetur, ad hanc improbandam adducat: quodsi deinceps pœnitens blasphemare jam non peccabit, quia blasphemiae involuntariae sunt in sua causa. Porro hæc improbanda quam oretenus pœnitens forte proferet, poterit ne sequentes omnes actiones justificare? Nonne hoc pacto impunitatem omnia obtinebunt criminosa, in quæ homines concupiscentia pertrahunt? Nonne libera vitiiis omnibus panditur via? Nonne post concupiscentias suas errare homo licet franco permittitur (a)?

(a) Praxim hac meliorem P. Schram in sua Theologia felici labore compendiata (Tom. 2. cap. 12. §. 814.) subministrat, ubi sic disserit. Si pœnitens se accuset: blasphemavi; attendat Confessarius 1. An verba sint blasphema; quia sacra maledicta, imprecationes, juramenta cum blasphemiam a rudibus confunduntur. 2. An cum indignatione, & irreverentia sint prolata. 3. An sint prolata ex animo Deum inhonorandi, &c.



Non igitur mirum, si in tabernis, & luforum mensis frequentes blasphemiae personent; si in juvenum conventiculus ingenium ostentandi causa sales & joci divinitati, ac sacris Mysteriis injuriosi producantur. Casuistarum doctrina, & confessoriorum conniventia sacrilegam hanc temeritatem fovet; exterior quoque a pœnis securitas eandem auget. In lege veteri statutum erat, ut, qui blasphemavit nomen Domini, morte moriatur (Levit. 24.). In Christi Ecclesia plures graves ac publicas pœnas sacri canonis in blasphemos decernunt (præcipue in Con. Later. sub Leone X.) quas pii Principes non modo

quidem cum advertentia blasphemiae, ubi graviter peccatur. 4. An sine advertentia ex consuetudine sint prolata, quam pœnitens non curat emendare, ubi tot mortalia committit, quod verba blasphema profert; quia voluntarie causam ponit: secus foret, si studeat se emendare, ubi indeliberatae blasphemiae non sunt mortalia. Si pœnitens dicat, quod affectum indignationis nullo modo ad Deum extendere voluerit; sed tantum ad hominem, vel jumentum &c. verba attendi debent; si enim talia, vel tali modo prolata sint, ut enormem contumeliam Dei, & Sacramentorum significant, v. g. Sacramentsbesien: Taufensacrament: Mordhofsacrament &c. excusari nequit a mortali, nisi ex defectu voluntarii, vel advertentiae, & adsolvi non bebet nisi firmo emendationis proposito concepto: si vero tantam contumeliam verba non contineant, v. g. simpliciter nominando Sacramenta &c. venialiter solum peccavit, & sub gravi obligatione tenetur deponere malam consuetudinem ob periculum blasphemiae formalis.



modo confirmarunt, sed & nonnullis aliis auxerunt, utut variis ex causis omiffa, aut impedita executio fit (a).

## CAPUT II.

*Dei tentatio & sacrilegium exponuntur.*

**D**ei tentatio tunc committitur, quando aliquis fit aut dicitur, ut Dei potentiae periculum fiat. Cum diabolus Christo persuadere vellet ut se e templi pinnaculo, quo eum sustulerat dejiceret, sperans se in manibus, sicut scriptum est, Angelos portaturos, ne forte ad lapidem offenderet pedem suum; Dei filius alio Scripturae textu illi respondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (Deuter. 6.). Inde hoc peccatum provenit, quia ordinariae Dei pro-

(a) Ad salutarem blasphemiae horrorem excitandum ejusmodi poenae iis, qui de blasphemis se acculant, sunt exaggerandae. Addi ex S. Antonino potest, blasphemare Deum, & maledicere praecipuam damnatorum in inferno occupationem esse juxta illud: *Commanducaverunt linguas suas praedolore . . . Et blasphemaverunt Deum in praedoloribus &c.* (Apoc. 16.). Hinc, qui hoc vitio detinetur, ostendit, se pertinere ad statum damnatorum, ex quo exercet artem eorum (Par. 2. Tit. 7. cap. 5.). Proderunt etiam jaculationes quaedam preces quotidie de mane, & interdum, ac praepriis post quemvis relapsum repetendae. Tales sunt: *Sanctus &c. Dominus Deus Sabaoth. Sancte Deus, sancte Fortis; sancte &c. misericors Salvator! amarae morti ne tradas me &c.* aliaeque divinarum Perfectionum laudes, quarum magnum apparatus libri pii suppeditantur.